

splendore virtutum illustras Pastor optimus; nihilque veritus anni tempora difficillima, vel rigentes niues; assiduus Missionum laboribus instas vere [fator æternitatis,] vt ait Hilar. de sanctis Apostolis. Clerum tuum vniuersum optimis moribus, & præclara doctrina formas. Plures vero familias religiosas, in quibus & nostram simul, insigni videlicet in nos beneficio, Tua ciuitate donasti: hinc Religiosis beneuolentia complectendis Paternæ benignus, hinc Populis per eos instruendis aut aliter iuuandis, mire prouidus. Egenis demum omnibus ex animo, & christianæ paternæ miserationis affectu sic effuse largus, vt ipsi Tibi ex modestia parcissimus: quod ipsum est Sapientiæ opus insigne, vt largitione terrenæ perituræ substantiæ bona Tibi cumulatius æterna conciliet. Quia, ut ait Chrysof. [In paupere Deus absconditur; manum extendit pauper, & accipit Deus.] Unde, obsecro, patere **ILLVSTRIS-SIME PRÆSVL**, vt pari ratione de Te id prædicem, quod olim Chrysof. de magno Apostolo [Cor Christi erat cor Pauli, tabulaque Spiritus sancti, & Charitatis volumen:] quippe charitatis Leges ipso Dei Spiritu velut calamo scriptas in corde, cæteris aperte legendas promissis, & seruandas ingeris Tuo exemplo; volumen alioqui sic omnibus apertum ad Dei laudem, vt maxime clausum Tibi, nesciente nimirum [sinistra Tua, quid faciat dextera Tua.] Istis igitur & aliis, quæ quia numerum excedunt, enumerare haud potui, Sapientiæ, quæ in Te est, certissimis attentis argumentis; merito est, **SAPIENTISSIME PRÆSVL**, quod proditura in publicum sacra hæc mea, quoad partem secundam, Philosophia dicat intrepide, laudi Tuæ prorsus, Tuisque meritis deberi, vt sibi patrocinium abs Te, iure non suo quidem, sed Tuo expetat. Id vero si pro Tua benignitate (vt suppliciter petit) consequuta fuerit; quam ô! prædicabit se foelicem tali ac tanto Mæcenate. Sic namque illa cum [sapientiæ] non nisi tenue quoddam in se rudimentum, aut leuiculam speciem gerat nomine tenuis: solidam & expressam in Te nanciscetur effigiem veræ germanæque sapientiæ: ac prout etiam [sacræ] nomen putauit sibi aptandam, apte congruenterque inueniet hinc illustrissimam Characteris in Te, hinc vitæ probatissimam sanctitatem. Si vero lucis ei quippiam est, etsi minutulæ, clarissimus eidem Tu sol, cuius in gremium refundatur, affulgebis; vt luce deinceps Tua splendeat, suasque pertæsa tenebras, non erubescat publicam lucem. Præterea tamen opertam hanc meam nomini Tuo **ILLVSTRIS-SIME PRÆSVL**, vt sacrandam censerem humillimus cliens, cœgerunt plurima non modo in me Tua; sed etiam innumera tum Tua in nostrum Ordinem, & illud vel maxime, quo recens nos, vt paulo ante commemorabam, vocatos ad te ipsum adoptasti